



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 21. Caligulæ fatum. Claudius Imperator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum I.
A. C. 41.

§. XXI.

Mors Caligulæ. Claudius Imperator.

Suet. in Cajo
c. 18.
Jos. XIX.
ant. c. 1. 2.

An. 41.

Claudius.

Jos. XIX.
ant. c. 2. 3.

Cum Caligulæ crudelitas, & insania ita crevissent, ut tolerari ultra non posset; occisus est 24. Jan. anno C. 41. augebat annum ætatis 29, regni 4. postquam imperasset tribus annis, & decem mensibus. Dux facti Cassius Cherea Prætorianorum, id est corporis custodia, Tribunus; eum, in subterranea specu exhibitos sibi juvenes, actioni scenicæ destinatos, spectantem, oppressit. Tringenta vulneribus transfixus est. Cesonia uxor a Centurione gladio transverberata, & filia, adhuc parvula, elisione ad murum, crepare coacta. Illius memoria, tanquam Tyranni damnata est. In ejus locum Imperator agnoscitur Patruus ejus Tiberius Claudius Drusus Germanicus, Drusi filius, Imperatricis Liviæ nepos. Annos numerabat ætatis 50. & tredecim regnavit. Vir satis eruditus, & bonæ indolis, sed perplexus, & ita æquanimis, ut omni sensu carere videretur, ad clavum sedere mulieres, & libertos passus.

Non sine multorum resistantia factum, ut Claudius ad Imperium eveheretur; Senatus enim ad pristinam libertatem respi-

respiciebat; & Rex Agrippa tunc Romæ præsens in hoc difficili negotio ei inutilis non fuit; ideo, quamprimum Imperator esset, confirmavit ipsi Regnum, quod Caligula dederat, omnibus iis adjectis, quæ Herodes avus ejus possederat, scilicet Judæam, & Samariam, tanquam bona familiæ acquisita. Præterea Consulares ipsi honores decrevit; & Herodi ejus fratri Dignitatem Prætoriam, cum Calcidis Regno in Syria; Hic Herodes Berenicen neptem suam Agrippæ filiam duxit.

Sæculum I.
A. C. 41.

Jos. XIX.
ant. 4.

Dio. l. 60.
p. 770.

§. XXII.

Judæi melius habiti.

Caligula interfecto, Judæis Alexandria animus rediit. Ajunt Philonem legatorum primum Romæ in pleno Senatu relationem de Legatione sua, & Caji stultitia legisse, sibi que tantam conciliasse æstimationem, ut ejus opera, in Bibliothecis servanda, reponerentur. Alexandria cum animo vires ita resumpseret, ut paganis arma possent opponere. Scripsit Claudius Prætori Syriæ, ut seditionem compesceret; tum ab Agrippa, & Herode rogatus Edictum misit, quo confirmabat Judæis Alexandria a principio jus civitatis competere, quod eis ab unione Ægypti cum Imperio Romano esset assertum; sicut etiam jus Ethnarcham eligendi, aut Nationis suæ Principem;

Euf. II.
hist. c. 17.

Jos. XIX.
ant. c. 4.